

2643

C O D I C E S

2644

in quibus et de personis seu ministris a quibus et de indumentis cum quibus huiusmodi officia exercentur &c. expositisque Templorum ornamentis, Ministrorum gradibus, Sacerdotum et Episcoporum Vestibus, Ritibusque Sacrificii definit imperfectus in explanatione Canonis. Et hunc Tractatum sub lemmate: De Officiis, locis et personis ad sacra deputatis, a Fabricio adscribi video Henrico praedicto de Hassia sive Langenstein.

XIII. fol. 367. Opusculum de Potestate Clavium in Ecclesia, nobis simpliciter inscriptum: *Tractatus Magistri Hainrici de Hassia.* Initium est: *Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 16. Hoc cui libet dicitur confessori qui habet potestatem absoluendi confitentes a peccatis &c.* Ad calcem subditur: *Explicit tractatus magistri Hainrici de Hassia egregij doctoris ac professoris sacre theologie.* Quo eum facilius ab juniore hujus nominis *Carthusiano* distinguas. Msptum hoc nostrum adlegatur a *Fabricio.*

XIV. fol. 378. Agitur breviter de *Matrimonio*, ejusque *Impedimentis*, et pingitur nota *Consanguinitatis Arbor* cum suis regulis.

DCXCI.

151 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 128. f. per duas columnas currente calamo scriptus complectitur *Sermones LXVI.* in varias Dominicas, aliaque per annum festa, quorum Primus in illud *Lucae 19. Cum*

appropinquaret Jesus ierosolymis &c. ad Adventum Domini prae- parat hoc initio: Adventum Domini recolentes scientes eum venisse in carne pro salute nostra &c. Ultimus mutilus vero in illud *Matth. 18. Assimilatum est regnum coelorum homini regi &c.* quod *Dom. XXI.* post *Pentec* in ecclesia legitur, incipit: *Dyabolus seruos suos si vulnerentur non curat sed vulneratos pertrahit ad sepulchrum eterne mortis &c.* Autor nullibi proditur, nec operae pretium est, multis in eum inquirere; Academiae tamen Vindobonensis membrum olim fuisse putem. Codex in principio sic inscriptus est: *iste liber datus est ecclesie Ardacensi ex parte Domini Cbunradi Hindernpach plebani In yhs et canonici ecclesie S. Stephani wienne et olim decani ac canonici prefate ecclesie ardacensis. Ecclesiae Collegiatae hujus Literas Foundationis ab an. 1049. et Statuta habes in Raym. Duellii Miscell. L. I. p. 105. Nunc nihil nisi Praepositi Titulus restat.*

DCXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 165 XV. Folior. 272. f. per duas columnas scriptus et rubricatus continet *Sermones de Tempore et de Sanctis* per totum annum, incipiendo a *Dominica I. Adventus.* Autorem aliquatenus produnt fugientia haec in theca *Cod.* anteriori adscripta verba: *S. de tempore et sanctis Egge: doctoris Wnc. olim Ecclesie Pragensis Admini-*